



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 2. Apud quem sit legitima potestas indicendi bellum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

runt: ita Iustin. Apolog. 2. pro Christianis, & alij. Iam vero Concilium Nicenum specialiter loquitur de iis Christianis, qui signum infidelium militum, quod deposuerant, iterum assumerent. Et Leo Papa, vt Gloss. explicat Cap. Si quis & Cap. contrarium de penitentia dist. 5. de his agit, qui post publicam penitentiam iniunctam reuertebantur ad bellum, ante illam expletam. Dico etiam initio Ecclesie expellere potuisse, prohibere etiam, qui conuertebantur ad fidem, ne statim ad malitiam irent, cum infidelibus, & sub infidelibus ducibus. Ad rationem respondet August. 19. de Ciuit. cap. ultimo bene probare, bellum, quoad fieri possit, esse vitandum, & solum in necessitate extremam, quando nullum aliud medium superest, tentandum: non vero esse prorsus malum, quia quod ex eo sequatur malum, per accidens est, & maiora sequerentur, si numquam liceret. Vnde ad confirmationem negatur, bellum esse contrarium honeste pacis, sed inique: est enim potius medium ad veram, & tutam pacem obtinendam. Similiter non est contra inimicorum dilectionem: Nam qui honeste bellum gerit, non odit personas, sed opera, quae iuste puniuntur: & idem est de remissione iniuriarum, praecipue, quia haec non est omnino in praescepto, nam vindicta, via legitima, potest interdum peti ab ipsa iniuria.

4. Dico secundum. Bellum defensuum non solum est licitum, sed interdum etiam praecipuum. Prior pars sequitur ex prima conclusione, quam etiam citati Doctores admittunt, & habet locum non solum in publicis Magistratibus, sed etiam in priuatis personis: nam vim repellere, omnia iura permittunt, Cap. Si vero extra de sententia excommunicationis. Ratio est, quia ius propriae defensionis est naturale, & necessarium. Vnde facile ostenditur pars secunda. Nam propria defensio interdum esse potest in praescepto, saltem ex ordine charitatis, vt dictum est, disputatione 9. item defensio Reipublicae, praecipue si ex officio incumbat. Vnde Ambrosius 1. de offic. cap. 7. Oppones. Nam ad Romanos 12. dicitur. Non vos defendentes charissimi, cui consonat illud Matth. 5. Si quis percussus in dexteram maxillam, praebe & alteram. Respondetur, in priori loco sermonem esse de vindicta; vnde alia lectio habet. Non vos vindicantes: & Graecum verbum *ἐκδικεῖς* vtrumque significat, patet tamen sensus ex sequentibus; Scriptum est enim, Abi iudicium, & c. Idem est sensus secundi testimonij, si de praescepto intelligatur; quauis etiam possit intelligi, vt August. tomo quarto, libro de mendacio cap. 15. & abbi exponit, de animi preparatione, vtique quando id fuerit necessarium, nam aliis tantum est consilium.

5. Dico tertium. Bellum, etiam aggressiuum non est per se malum, sed potest esse honestum, & necessarium. Constat ex testimonijs Scripturae superius allatis: quae indifferenter loquuntur. Idem constat ex vsu Ecclesiae a Patribus, & Pontificibus saepius approbato, prout omnia late congerit Rossensis artic. 4. contra Lutherum: Videri potest Turco. 23. quaestione 1. num. 1. & 2. & multa alia videri possunt 13. quaest. 8. a cap. 7. Ratio est, quia tale bellum saepe est Reipublicae necessarium ad propulsandas iniurias, & coercendos hostes: neq. aliter possent Respublicae in pace conservari. Est ergo hoc iure naturae licitum, atq. adeo etiam lege Euangelica, quae in nulla re derogat iuri naturali, neque habet noua praeccepta diuina, praeter quam fidei, & Sacramentorum. Quod vero Lutherus uae aiebat, non licere resistere castigationi Dei, ridiculum est: Deus enim non vult hanc mala, sed permittit, vnde non prohibet, quin iuste possint propulsari.

6. Superest exponamus quod bellum sit aggressiuum, quod vero defensiuum: interdum enim in apparentia videtur potest aggressio, quae tantum est

defensio. Nam si hostes, verbigratia, occupent domos, vel res aliorum: alij vero eos innuant, non aggressio est, sed defensio. Quo modo leges ciuiles dicentes, si quis velit me expellere a possessione, licere vim vi repellere, etiam in conscientia, verae sunt, vt in leg. 1. Cod. vnde vi, & lege 1. & 3. ff. de vi, & vi armata. Quia illa non est aggressio, sed defensio, quam etiam licet aggredi propria autoritate, atque extendunt haec iura ad eum, qui cum esset absens, deiectus est a possessione, quam vocant naturalem, reuertensque impeditur ne illam recuperet. Decernunt quippe, spoliatum posse armis rem aggredi, etiam propria autoritate, quia illa non est vere aggressio, sed defensio possessionis ciuilis, habetur in cap. Solum extra, de restitutione spoliatorum. Quocirca notandum est, an iniuria sit in fieri moraliter, an facta iam sit, & per bellum satisfactio intendatur. Quando se habet hoc secundum modo, bellum est aggressiuum. Primum modo, habet rationem defensionis, dummodo fiat cum moderamine inculpatae tutelae. Existimatur autem iniuria esse in fieri, quando vel re vera ipsa actio iniuriosa est in fieri, physice etiam loquendo, vt quando homo non est omnino deiectus a possessione suae iure: vel deiectus quidem est, tamen in continenti, id est sine notabili mora, procurat se tueri ac restituere. Cuius ratio est, quia quando aliquis est moraliter in actuali resistentia, & conatur, quoad potest, suum ius tueri, non censetur simpliciter passus iniuriam, nec deiectus a sua possessione. Ita exponunt communiter Doctores Syluest. Verbo Bellum 2. Bartol. & Iurista in dicta lege 3. §. Cum igitur si de vi, & vi armata.

7. Dico quartum. Vt bellum honeste fiat, nonnullae conditiones sunt obseruandae, quae ad tria capita reuocantur. Primum, vt sit a legitima potestate. Secundum, vt iusta causa, & titulus. Tertium, vt seruetur debitus modus, & aequalitas in illius initio, prosecutione, & victoria, quae omnia patebunt ex sequentibus sectionibus. Ratio vero conclusionis generalis est, quia licet bellum per se non sit malum, tamen propter multa incommoda, quae secum affert, ex iis negotijs est, quae saepe male fiunt. Et ideo etiam multis indiget circumstantijs, vt honestetur.

SECTIO II.

Apud quem sit legitima potestas in dicendi bellum.

1. **Q**uestio est de bello aggressiuo: nam potestas se defendendi ab iniusto inuasore, penes omnes datur. Dico primum. Supremus princeps, qui superiorem in temporalibus non habet, vel respublica, quae similem iurisdictionem apud se retinuit, habet iure naturae potestatem legitimam indicendi bellum. Ita D. Thom. 2. 2. quaest. 40. artic. 1. probaturq. ab omnibus. Vide Couarr. regula peccatorum 2. p. §. 9. pleriq. iura, & Doctores etiam Theologos adducit. Ratio est, primum, quia hoc bellum, vt ostendimus, interdum licet iure naturae: ergo oportet potestatem illud indicendi esse apud aliquem: ergo maxime apud habentem supremam potestatem: nam ad eum maxime spectat tueri rempublicam, imperareque inferioribus Principibus. Secundum quia potestas indicendi bellum est quaedam potestas iurisdictionis, cuius actus pertinet ad iustitiam vindicatiuam, quae maxime necessaria est in republica ad coercendum malefactorum, vnde sicut supremus Princeps potest punire sibi subditos, quando alius nocent, ita potest se vindicare de alio Principe, vel republica, quae ratione delicti ei subditur, haec autem vindicta non potest periri ab alio iudice, quia Princeps, de quo loquimur, non

Pp 4

habet

Notatio

Conclus. 2. de quo Bollar. de lais lib. 3. cap. 1. Molin. disp. 10. & sequentibus.

1. Conclus.

Probatum

habet superiorem in temporalibus: ergo si alter non sit paratus ad satisfaciendum, compelli potest per bellum. Dixi in conclusione, *vel Respublica*, ut comprehenderem omnem modum regiminis in omnibus enim est eadem ratio. Solum est aduertendum in monarchico regimine, postquam respublica transtulit suam potestatem in vnum aliquem, non posse citra voluntatem illius bellum indicere, quia iam non est suprema. Nisi forte princeps esset ita negligens in vindicanda, & defendenda republica, ut ea de causa, publica, & grauissima incommoda pateretur: tunc enim posset tota respublica se vindicare, & priuare ea authoritate principem, quia semper censetur apud se retinere eam potestatem si princeps officio suo desit.

2. Dico secundò Princeps, & Respublica imperfecta, & quicunque superiorem habet in temporalibus, non potest iuste bellum indicere sine sui superioris authoritate. Ratio est, quia huiusmodi Princeps potest petere eius a superiore suo; ergo non habet ius indicendi bellum, quia quoad hoc se habet, ut priuata persona; ea enim de causa priuati indicere bellum non possunt. Secundò quia talis belli indicio est contra ius supremi Principis, cui hæc facultas præcipue commissæ est, quia sine illa non posset pacifice, & conuenienter gubernare. Hæc verò limitat Victoriā supra, & indicat etiam Cæteran. & alij. Primò nisi antiquissima consuetudine aliud esset obseruatum. Quod verum fortasse est, quando bellum est indictum contra non subditos ipsi Regi: si namq; esset contra membrum aliud eiusdem regni, videretur sane talis consuetudo contra legem naturalem: nam quando est tribunal, & potestas superior vtriusq; parti, contra ius naturæ est, quasi authoritate propria per vim ius suum petere. Item in priuatis personis hoc sine dubio contra ius naturæ militat: at verò tunc illa duo membra eiusdem reipublicæ, quauis sint principaliora, attramen habent se, ut priuata personæ. Secundò limitat Victoriā eandem conclusionem, nisi Rex supremus sit negligens in vindicanda iniuriā: nam tunc posset inferior Princeps se vindicare. Quod tamen non placet, præcipue inter membra eiusdem reipublicæ: nam priuata persona, quando non potest ius suum obtinere a publico iudicio, licet occidit, & sine scandalo possit sese indemnem seruare: non tamen per vim, & bellum, & multo minus vindicare se potest, quādo per iudicem non potest. Nam vindicta propria authoritate priuata, intrinsece mala est, atque eo colore facile excitaretur tumultus, & bella in republica: sed ius vindictæ, quod habet pars Reipublicæ, vel priuata persona, tantum est imperfectum, & in illo habent hæc incommoda maiorem locum: ergo non est illi danda hæc licentia, nisi solum intra limites iustæ defensionis.

3. Sed verò addendum primò, sufficere interdum in his voluntatem interpretatiuam Principis, quando negotium instat, neq; sit alim potest fieri recursus, ac præcipue, si bellum suscipiatur contra alienos: & maxime, si alia sint declarati hostes Principis. Adde secundò, si interdum huiusmodi inimici capiuntur intra terminos alicuius Reipublicæ imperfectæ, non solum tunc licere contra illos iustam defensionem, sed etiam aggressionem, vindictam, & punitionem: quia ratione criminis commissi in proprio territorio efficiuntur subditi. Tandem addendum est, plura licere vni ciuitati, vel reipublicæ in ordine ad propriam defensionem, quam vni priuata personæ, quia bonum illud est commune, & excellentius, & potestas etiam eius est suo modo publica, & communis: Non mirum ergo, si plura ei liceant.

4. Quæres quæ sit respublica perfecta: quisve sit supremus Princeps. Responderetur primum omnes Reges hæc in parte esse supremos. Ita Inno-

cent. 3. capit. *per venerabilem*, qui filij sint legitimi. Multi etiam duces hanc vendicant supremam potestatem. Quare falluntur Canonistarum nonnulli dicentes solum Imperium esse hoc modum supremum. Itaque hoc pendet ex modo iurisdictionis cuiusque Principis, aut reipublicæ, & signum supremæ iurisdictionis est, quando apud talem Principem, tempus publicamve, est tribunal, in quo terminantur omnes causæ illius principatus, neque appellatur ad aliud tribunal superius. Quando verò locus est appellationi, est signum imperfecti Principatus, cum appellatio actus sit inferioris ad superiorem. Vnde aduertendum est primò, non omnes Respublicas subditas eidem Regi, esse imperfectas secundum se: nam contingit illam coniunctionem factam esse per accedens, quod indicat diuersitatem legum, & tributorum, &c. Et quauis hæc differentia non multum referat ad potestatem, de qua modo agimus, quia iam est in Rege: refert tamen multum ad potestatem, quam talis Respublica potest habere contra suum Regem, si tyrannidem desinit. Nam si est perfecta, habet potestatem contra suum Regem, etiam si ipse habeat alia regna: sed verò si sit imperfecta, & pars eiusdem regni: nam tunc nihil potest sine consensu totius, quæ omnia, cum in lege naturali fundata sint, communia sunt Christianis, & infidelibus.

5. Sed pro Christianis principibus est secundo notandum, Summum Pontificem, quauis non habeat directam potestatem in temporalibus extra suum dominium, habere tamen indirectam ex capite. *Venerabilem de Electione, & capit. Nouit de iudiciis*. Hoc ergo titulo habet ius auocandi sibi causam belli, & potestatem ferendi sententiam, cui pares tenentur obedire, nisi manifestam faciat iniustitiam: nam id certe necessarium est ad bonum spirituale Ecclesiæ, & ad infinita prope mala deuotanda: quapropter Soto ad Romanos 12. dixit, ratio inter Principes Christianos esse bellum iustum, quia alia viam expeditam habere possunt ad terminandas causas communes. Sed nihilominus interdum Pontifex non interponit authoritatem, ne fortasse sequantur maiora mala, tunc verò Principes supremi non tenentur facultatem à Pontifice extorquere, sed quandiu non prohibetur possunt ius suum prosequi, oportet tamen cauere, ne ipsi in causa sint, ut Pontifex non audeat se interponere: nam tunc non excusabuntur à culpa.

6. Dico tercio, Bellum, quod iuxta præcedentem conclusionem sine legitima authoritate indicitur, non solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, etiam si ad sit legitima causa. Ratio est, quia actus ille tunc fit sine iurisdictione legitima: est ergo illegitimus. Et hinc provenit, ut ex tali bello oriatur obligatio restituendi omnia damna. Verum quidem est, quod si quis per huiusmodi bellum recuperet tantum res suas, non teneatur restituere illas: tenebitur tamen ad damna omnia, & expensas aliorum. Ratio est, quia in his fecit inæqualitatem, cum esset causa iniusta omnium illorum: in accipiendo autem res suas propriè non fecit iniuriā, nisi fortasse in modo: ex quo tamen præcise sumpto non oritur obligatio restituendi. Vnde etiam inferitur, quod Syluester verbo *Bellum* primo, quæstione decima notauit, eum qui sine hac authoritate bellum facit, et si alias habeat legitimum titulum, incurrere poenas iniuste bellantium, atque adeo, si incendiarius sit, incurrere excommunicationem latam contra incendiarios.

7. Sed quæri potest, An si Rex Christianus, aut princeps soli Pontifici subiectus, contra Pontificis ipsius prohibitionem, faciat nihilominus tale bellum iustum, peccet contra iustitiam, an solum

Quæstionem
la in gratiam
1. & 2. con-
clusionis.

Supreme iurisdictionis
signum.

Christiani
principes
subdantur
Papæ.

Vide in de
fensione d.
dei lib. 4.
cap. 14.

Corollat

Corollat
ex Syluest.

Corollat
ex Syluest.

Corollat
ex Syluest.

solam contra obedientiam. Nam hinc pendet iudicium de obligatione restituendi. Respondeo. Quandiu Pontifex non ita prohibet, ut causam ad se referat, & se iudicem constituat, Princeps non peccat contra iustitiam prosequendo ius suum, siue in eo bello non prohibendo male faciat Pontifex, siue non faciat. Ratio est, quia tunc nihilominus retinet suam iurisdictionem, & potestatem, si tamen Papa sua auctoritate, & potestate iuste impediat bellum, ut contrarium bono spirituali Ecclesiae, ac proinde adimat Principi ius omne bellandi, prout potest, in tali casu, peccabit contra iustitiam Princeps, ac tenebitur ad restituendum. Ratio est, quia iam tunc in ea causa non habet titulum, quo iuste possit alteri Principi inferre damna per bellum: quia igitur tunc intulerit, contra iustitiam etiam commutativam inferet, atque adeo ex iustitia erunt refarcienda. Nec refert quod per indirectam potestatem Pontifex dictum Principem prius bellandi iure, dummodo ex vera causa communis boni, ut supponimus, illum priuet.

SECTIO III.

Verum indicere, & exequi bellum liceat etiam Clericis.

1. Quoniam contingit, supremam potestatem in temporalibus repetiri in Principibus Ecclesiasticis, oportet exponere, An supradictum ius, commune sit illis, & simul etiam explicabimus, quod quaerit D. Thomas secunda secundae, quaestione quadragesima, articulo secundo, An liceat clericis, & Episcopis pugnare, & quaestio est de bello aggressivo, non de defensivo. Nam hoc, sicuti naturae iure conceditur politici nulli prohibetur, siue defensio sit propriae vitae, siue propriorum bonorum. Siue sit alterius, & maxime patrie, & boni communis. Habet autem dicta quaestio locum in iure positivo diuino, atque humano: nam in iure naturali nulli est per se prohibitum militare, aut indicere bellum, nisi forte ei, qui impotens est ad militandum, ut dicuntur moraliter esse foeminae: sed tamen etiam in illis non est simpliciter prohibitum, & indicere siue dubio possunt, si essent supremi Principes. Igitur solum dicendum est de positivo iure, quod tantum habet locum in personis Ecclesiasticis.

2. Dico primo. Praelati Ecclesiae Episcopi, si qui sunt supremi in temporalibus, possunt licite, & siue metu etiam irregularitatis indicere bellum, suppositis aliis conditionibus. Conclusio est certa & communis. Ratio est, quia hoc ius pertinet ad illam supremam potestatem, quae integra, & perfecta est in huiusmodi principibus, & talis actus non est illis prohibitus, ut patet ex multis decretis. 23. quaestione octava. Rursus ipsi directe non perfruantur homicidium, aut mutilationem, sed ad eam fortitudinis. Et confirmatur: nam simili de causa licet his Principibus constituere iudices, qui iuste iudicent in causis criminalibus. Addit verò Sylvest. Bellum 3. numero secundo, hoc ius posse convenire Episcopis ex vi spiritualis potestatis, indirectè tamen, quod necessarium sit ad bonum spirituale. Quod de Summo Pontifice facile creditur, de aliis non supremis Dominis temporalibus solum titulo defensionis: nam ad aggrediendum non sunt ipsi supremi in spiritualibus, & facile possunt ad supremum caput habere recursum.

3. Dico secundo. Etsi iure diuino non sit prohibitum clericis per se exequi bellum, Ecclesiastico tamen iure prohibitum est. Prior pars probatur, quia nullum ex tali praeceptum diuinum, neque ex Scriptura, neque ex traditione habetur: nec omnino in Sacerdotali munere includitur, aut intrin-

secè continet repugnantiam cum recta ratione. Confirmatur à simili, quia non est iure diuino prohibitum clerico esse iudicem in causa sanguinis. Posterior certa est. Habeturque ex capit. Clericus distinctione quinquagesima, ubi Nicolaus Papa id prohibet, sub Poena suspensionis, & 13. quaestione quarta. habentur multi Canoness de hac re. Rationes, & congruentiae, quare hoc sit praeceptum, faciles sunt. Lege D. Thom. 2. 2. quaest. 40. art. 2.

4. Ex prima conclusionis parte sequitur, Summum Pontificem posse dispensare in dicto praecepto, quia humanum est: cuius contrarium sentit Gratian. 13. quaestione octava, in principio, sed sine villo fundamento. Patet etiam ex multis iuris capitibus: & solet asserri casus magnae necessitatis, si is pertineat ad commune bonum Ecclesiae: nam tunc etiam clerici possunt iure naturali obligari ad huiusmodi bellum. Verum quidem est, tale bellum potius pertinere tunc ad defensionem: nam in aggressivo bello moraliter non adest tanta necessitas. Lege Caetan. citato loco D. Thom. Conarr. relectione in Clementinam Si furiosus parte 2. §. 3. num. 2.

5. Dico tertio: praeceptum hoc sub mortali obligare eos, qui in sacris sunt constituti. Primo quia materia est gravissima, & sub gravissimis poenis, ac censuris prohibetur. Quod verò obliget constitutos in sacris etiam subdiaconatus, sententia communis est D. Tho. art. illo 2. Caetan. ibidem. Sylvest. verb. Bellum 3. p. q. 2. Anton. 3. p. tit. 28. c. 2. §. 6. Couarra. citati, & aliorum in cap. Petrus. de homicidio. Est ratio facilis, quia proximè iam accedunt ad sacrum ministerium, & ad illud obligantur. De aliis verò existentibus in minoribus, quia imperfectè participant statum clericalem, probabile est, vel nullo modo obligari, praesertim si iam omnino renuntiarunt statui, vel certè ad summum obligari sub veniali. Ita Soto 5. de iustitia q. 1. art. 4. Couarra. in Clement. Si furiosus, part. 2. §. 3. numero secundo. nisi forte habeant beneficium Ecclesiasticum, quia tunc iam sunt ex officio ministri Ecclesiae, & tenentur, ut multi credunt, aspirare ad altiores ordines, vel saltem non ponere impedimentum illis, dum in officio suo manere volunt, ideoque grauius obligantur. Sed oportet advertere, hoc peccatum clericorum praesens non esse contra iustitiam, sed contra religionem, vel obedientiam; & ideo si aliae conditiones iusti belli adsint, nihil tenentur restituere, quanvis contrarium sentiat Sylvest. verbo Bellum 3. quaestione quarta, quia Princeps (inquit) sicut non potuit dare clerico auctoritatem bellandi, ita nec praeiudicium: sed hoc non vigeat, quia licet non potuerit dare facultatem licite bellandi, tamen dare potuit potestatem bellandi sine iniuria, dum per Pontificem suo iure non privatur, ut in fine superioris sectionis dictum est, & hoc satis est, ut non teneantur restituere, sicut patet in clerico occidente alium tamen quam ministro iustitiae: nam tunc non peccat contra iustitiam, nec tenetur restituere.

6. Sed quid de irregularitate? Respondetur, si bellum sit iniustum, & in eo aliquis occiditur, aut mutilatur, omnes milites fieri irregulares, siue sint Sacerdotes, siue non, siue per se interficiant, siue per alios. Ita Sylvest. verbo bellum tertio, quaestione tertia, ubi citat nonnulla iura, quia certè me non satis conuincunt. Tamen quia res est dubia, pars haec est securior. Ea ratione, quia sic bellantes censentur cooperari illi homicidio, quia iniuste moraliter omnes influunt siue proxime, siue remote. Si verò bellum sit iustum, distinguendum vterius est. Nam si clericus peccat militando, & per se occidit alium, manet irregularis, quia manifeste est voluntarius homicida. Si verò ipse non occidat, quanvis occidant alij, non manet irregularis, ut in,

Confirm.
Ostenditur
posterior.

Consecrati
ex conclusi-
one.
Gratian re-
sistitur.

1. Conclasse.

De hac obli-
gatione asse-
runt ad or-
dines late sa-
ctus libro 7.
marrim. dis-
put. 45.
Nota.

Sylvest. re-
sistitur.

An clerici
bellantes fiat
irregulares
de quo au-
thor decen-
sur. disp. 49.
sect. 6.